

impregnavit. Nara lac mulierum *armat in* ρ , ut eidem sine lassitudine & debilitate virium possimus operam navare. Interdum tamen etiam fallit lac humanum in phthisi, ergo alia sunt pensanda *circumstantia*: Ita mulier Cizensis tabida ex lacte nullum habuit usum in phthisi, sed postmodum pulmone vituli & ostreis fuit restituta. Ad somnum *extrinsecus* sit *epithema* ex lacte muliebri cum incoctione seminis papaveris, colatur, & instar fomenti vel etiam cataplasmatibus applicatur. SANGUIS MENSTRUUS, qui à PARACELSO vocatur ZENITH *Iuvenularum*: Hic primus virginis impollutæ multa in se habet arcana non semper revelanda. Ut autem pauca adducam, *externè* linteam à primo sanguine menstruo madidum & exsiccatum, hinc denuò humectatum & applicatum pedi podagrici, mirum quantum *lenit dolores podagra*. Idem linteam, si applicetur parti Erysipelate affectæ, in continenti *erysipelas* curat. In affectibus ab incantationibus & *veneficijs* oriundis multa præstat sanguis menstruus: Nam & ipse sanguis menstruus ad veneficia adhibetur, & sunt mulieres, quæ pro *philtis* utuntur sanguine suo menstruo. Tale exemplum videmus in BORELLO *Cent. 1. obs. 65.* de quodam, qui ex philtro factò ex sanguine menstruo cum sanguine leporis in maniam incidit, & patrem occidit, cujus remedium fuere Margaritæ præparatæ. Hoc ipso *impenetrabilitatem ab armis* etiam sibi quidam volunt conciliare. In delendo *incendio* adhibetur, sed exinde mulierem, cujus est sanguis, non parùm cruciari, sunt qui asserunt: Plura studio reticeo.

SECUNDINA HUMANA sequitur. In eadem multa quoque latitant arcana, adeò ut Chymici quidam celeberrimi nostro temere *Panaceam* exinde voluerint parare. Obiter observetur, quod non sit frustraneum, quod ferè omnia bruta mox à partu solent absumere & comedere secundinam, quod ipsum naturæ peculiari instinctu fieri, negari non potest, & hanc secundinam ab equis fuisse veterum hippomanes, qui hoc ipso multa præstiterunt in veneficijs & philtis, sunt, qui statuerunt. Quod attinet usum medicum secundinæ, pulvis secundinæ in retentis *secundinis* pellendis, in *foetu mortuo* ejiciendo & in *abortu* causando non habetur simile remedium: In *partu difficili* nil est præstantius. In *philtis* curandis spiritus secundinæ vel pulvis secundinæ mirabilia facit. Sic & sequens laudatur, Contra philtis:

\mathcal{R} . ruta murat.
hortens.
secundin. præpt.
Theriaca, \mathcal{Z} .

Tosta in cepa da patienti: vel bibat cum lacte muliebri: vel cum vino Caryoph. vel cum ∇ , magnanimitatis: quod secretissimum B. H.

In Epilepsia in primis ex utero multum præstat spiritus secundinæ humanæ. Ad *navos maternos* singularis est secundina, & experta est, si mox infans illinatur cum secundina, quæ prodijt cum infante, quod idem etiam facit, si sanguis, qui cum secundina prodit, illinatur, & abstergit mirificè maculam in tali casu illita secundina, vel sanguis cum secundina prodiens, uti dixi, est expertus. Obiter monco, interdum in recens natis adsunt *excrecentia & tuberculi*, in his curandis certum est secretum, si frater vel soror infantis sensum sensumque mortui manu contegatur & abstergatur aliquoties; exinde fit, ut manu putredine corrupta etiam dispareant tuberculi, cujus rei exemplum vivum vidi in quodam loco. Secundina & sanguis illiti in *scabie* etiam *volatica*, quæ est pessima scabiei species, est expertum remedium, de quo vide in *AGRICOLAE Comment. in Poppium Cap. de taur. pag. 289. & praxi Chymiatr. HARTMAN.* ubi de scabie volatica. ∇ . ex putrefacta secundina, si nimirum humectetur linteam eadem, & injiciatur in *incendium* mox *incendium*, *compescere* dicitur. *Modus præparandi* legitimus Spiritum secundinæ est hic: \mathcal{R} . secundinam mulieris sanæ, si potest esse primiparæ, & quæ filium enixa fuit, unà cum valis & reliquis omnibus additamentis, impone cucurbitæ, cui applica subito suum alembicum, & admove recipiens, & omnia benè perlutentur, ponantur in digestionem lenem, ut putrefiant, & sic fiat, ut interna fermentatione rota secundina convertatur & resolvatur in liquamen, ad annū autem dimidium ferè debent stare in digestionem, quò factò fiat destillatio, in qua prodit spiritus volatilissimus prodigiosissimi & rarissimi effectus in *morbis mulierum*, promovendo partu, ciendâ urinâ & mensibus & aliis accidentibus, *Dosis* est à Cochlear. 1. ad 2. Hoc medicamento fuit mulier restituta, quæ per 6. annos nihil de menstruo fluxu viderat. Eodem spiritu ab *Epilepsia* curatus dicitur Rex Poloniæ à suo medico aulico KNOEPHELIO. Hoc observetur etiam, quando putrefacienda & resolvenda in liquorem secundina, fit eò facilius & felicius, si à secundina ista detrahatur prius cuticula, sic enim, uti dixi felicius procedit negotium.

URINA sequitur, de qua *r. cruda* notum est, quod conveniat in *veneno viperarum* arcendo. Prostant namque observationes, quod ab urina ad aliquot \mathcal{Z} , assumpta, nonnulli à viperarum moribus fuerunt curati, teste ZACUTO *LVSITANO lib. 3. prax. admirand.* & in specie in *obs. 96.* Deinde per urinam solent fieri *curationes magico-magneticæ* morborum, si scilicet lardum vel potius caro porcina coquatut ter in urina ægri, & caro ista incoctionis urinæ postmodum propinetur cani vel porco devoranda, sic enim fit, ut quam plurimi morbi curentur per transplantationem in animalia, quæ devorant carnem & urinam. Et *dolorem podagricum* non ita pridem hic loci curatum fuisse percepi. *Potus urinae* propriæ laudatur in

in